

III.

BERENGARIAM ALFONSI VIII. REGIS

FILIAM NATU MAJOREM FUISSE

QUAM BLANCAM GALLIAE REGINAM,

PROBATUR AUCTORE JOANNE JACOBO CHIFLETIO

IN VINDICIIS HISPANICIS CAP. XII.

NOBILISSIMUM CASTELLAE REGNUM VINDICATUR PHILIPPO IV.
REGI CATHOLICO CUM SUPREMO OMNI JURE.

Expedit hoc loco primum Castellae Regnum asserere Maximo Regi meo adversus Francos, & praecipue Jacobum Cassanum, qui loquitur in hunc modum: *Non est dubium, inter potentiores illustrioresque Europae regiones Regnum Castellae in primis emicare: novos quippe orbis sibi tributarios efficit: solis illustratur lumine, cum is aliis deficit: atque, ut olim Roma vetus, terrarum domina, orientem solem & occidentem terminos habet*: Hactenus vere Cassanus; sed inverecunde prosequitur, cum addit: *Illam nihilominus Castellae sublimitas & potentia gradus est qui coronam Francicam magis attollit: quantumquidem Regnum Castellae non tantum Regi Franciae est obnoxium, sed insuper coronae ejus partem componit*. Subdit denique, ob eam causam Francos Reges Hispanis semper fuisse praefatos. Cui ad illa deliria, quantumvis plumbeo stupidoque, bilis mascula non intumesca? Falsum induci, veritate oppressa, nec ferendum nec dissimulandum est. Geminis autem commentum

1 Operis inscriptio hujusmodi est: *Vindiciae Hispanicae in quibus arcana Regia publicae pacis sono luce donantur*. Editio altera: cui accessit *Lamina nova genealogica, Sinilia, praevogativa & aere responsa ad Francorum obje-*

sum fundamentis fulcire Cassanus nititur; ortu nempe Regum suorum a Carolo Magno, & primatu natalium Blancae Reginae. Ego sic ad primum: *Aut jure Imperii sua possedit Carolus Magnus, aut Regni: neutro autem modo quidquam unquam in Hispania possedit: ergo nullum in Hispaniam jus ab illo derivatum in quemquam fuit*. Quod in Hispania nihil pro suo agnovit Carolus, & supremae ejus tabulae testantur, quibus & Regnum suum & imperium filios inter partitus est; ubi tamen de Hispanicis ditionibus ne verbum quidem. Sed ecce 4 Alberici verba, quibus de amplitudine ditionum Caroli Magni, Hispania exclusa, certior fias: *Regni Caroli terminus fuit a Bulgariae usque ad Hispanias; & a Danis usque ad Calabros, exceptis quibusdam regionibus, Polonia, Bohemia, Dalmatia, Venetia, & Britannia. Et quidquid tenuit Carolus adhuc duo Regna sunt, Romanorum & Francorum, sola Pannonia excepta*. Et si vero cum illis omnibus Hispaniam etiam Carolus possedisse, jus omne non ad

1. Antuerpiz anno M. DC. XLVII. fol.

2 Lib. I. cap. 1.

3 Apud Chemum tom. II. Scrip. Franc. pag. 88.

4 In Chron. anno DCCC. XIII.

ad Francos hodiernos, sed ad Austriacos Hispaniae Reges jure sanguinis derivatum esse satis ostendimus.

Venio ad alterum Cassani & sequacium ejus argumentum, quod est ejusmodi: *Post excessum Henrici I. Regis Castellae sine liberis Regnum Castellae aliter non possident quam ex usurpatione*. Juvat audaciam scriptoris, tabella ante oculos posita, & publica monumentorum fide firmata, refellere.

uxoris Ludovici VIII. Regis Francorum, patris Sancti Ludovici Regis; a quo reuera serie ortus est Ludovicus XIII. Rex. Reges igitur Hispaniae hodierni Regnum Castellae aliter non possident quam ex usurpatione. Juvat audaciam scriptoris, tabella ante oculos posita, & publica monumentorum fide firmata, refellere.

STEMMA REGUM CASTELLAE ET LEGIONIS.

1 Alfonsus VI. Imperator Hispaniae: uxor Constantia Burgunda.

2. Urraca juncta Raymundo Burgundo, Comiti Galliciae.

3. Alfonsus VII. Imperator Hispaniae: uxor Berengaria Barcinonae Comes:

4. Sancius Rex Castellae: uxor Blanca Navarra.

5. Alfonsus VIII. Imperator Hispaniae & Rex Castellae: uxor Eleonora Anglica.

6. Henricus Rex Castellae & Portugalliae: uxor Berengaria Reginae & Legionis.

3. Eleonora Regina Aragoniae.

4. Ferdinandus II. Rex Legionis: uxor Urraca Lusitana.

5. Alfonsus IX. Rex Legionis: uxor Berengaria, natu major, filia Alfonsi VIII. Castellae Regis.

6. Ferdinandus III. Rex Castellae & Legionis: uxor Beatrix, filia Philippi Rom. Imp.

7. Alfonsus X. Rex Castellae & Legionis, electus Rom. Imper. uxor Violanta Aragoniae: a quibus orti sunt Hispaniae ceteri Reges usque ad Philippum IV.

Ut in solemnibus iudiciorum ritu, in quibus de facto quaeritur, tabulae adhibendae, testesque producendi sunt; sic auctores ad hujus stemmatis veritatem stabilendam proferendi. Dicit igitur Rodericus Ximenez Archiepiscopus Toletanus, Berengariam Castellae Reginam fuisse filiam primogenitam Regis Alfonsi VIII. Sic enim ille, ubi agit de funere Fernandi Infantis, cui ipse interfuit anno M. CC. XI. *Se-*

galis prope Burgis a Roderico Toletano Pontifice, & multis Episcopis & Magnatibus secularibus & religiosis, excellentissima sorore sua Berengaria Regina, ad quam postea Regnum Castellae successione venit, impendente liberaliter & decenter officium funeris & honoris, & genium doloris. Castellae ergo Regnum successione pervenit ad Berengariam, quia erat filia nata major Regis Alfonsi VIII. ut alio loco, post narratum Henrici Ca-

1 Loco citato.
2 Vindex Gallicus cap. XVI.

3 Lib. VII. cap. 36.

stelle Regis obitum, idem Rodericus discrete: *Cum autem audisset Regina (Berengaria) potiores extremorum Dorii, & de ultra Serram Sobobia condere, misit nuntios, ut eis fidelitatis debitum suaderent: cumque visi extremorum Dorii hoc audissent, venire ad Regnam nobilem continuo consenserunt; & eorum ad Vallem Oleti communiter convenissent, ibidem tam extremorum Dorii potiores, qui pro omnibus venerant, quam etiam magnates & milites Castellani, communi consensu Regnum Castellae, fidelitate debita, Reginae nobili obtulerunt: ipsi enim, decedentibus filiis, cum esset inter filias primogenita, Regni successio debebatur: & hoc ipsum patris privilegium probatur, quod in armario Burgensis Ecclesiae servatur: & etiam totum Regnum, antequam Rex haberet filium, his juramento & hominio hoc firmarat. Ipsa autem intra fines prudentiae & modestiae supra omnes mundi dominas se coartans, Regnum sibi noluit retinere: sed extra portam Vallis Oleti, educta multitudine extremorum Dorii & Castellae, ubi forum agitur, conveniunt, eo quod tantam multitudinem domorum angustia non ferebat: & ibidem filio Regnum tradens, Infans Fernandus, de quo diximus, omnibus approbantibus, ad Ecclesiam Sanctae Mariae ducitur, & ibidem ad Regni solium sublinatur anno aetatis suae XVIII. Clero & populo decantantibus, Te Deum laudamus, Te Dominum confitemur. Et ibidem omnes ei fecerunt hominum, & fidelitatem Regi debitam juraverunt: & sic honore Regio ad regale palatium est deductus.*

Florebat sub idem maxime tempus Rodericus Archiepiscopus, cujus, in-

- 1 Lib. IX. cap. 5.
- 2 Lib. XIII. cap. 7.
- 3 Vid. Rodericum lib. VII. VIII. IX.

quit Mariana, *comper in Hispania videt auctoritas: a sicutque Alfonsi VIII. & IX. & Ferdinandi III. Regum, aule perquam familiaris: Alfonsi enim VIII. morientis confessionem audivit, Vatici sacramentum ministravit, eumque Burgis sepelivit anno M. CC. XIV. Præterea Ferdinandi III. Berengariae filii perpetuus in bellis contra Saracenos comes fuit, cujus Historiam suam, absolutam a se anno M. CC. XLIII. inscripsit. Aequali igitur scriptori magnae auctoritatis Præsuli (quem 4 Zurita vocat valde gravem & certum auctorem) in rebus, quas ipse vidit, majorem deberi fidem, quam musteis quibusdam seu Hispanis seu Francis, nemo negaverit: præsertim cum genealogus insignis, & natione Franco-Gallus Albericus, etiam tempore par (quippe qui Chronicum suum absolvit anno M. CC. XLI.) id ipsum clare doceat, ubi sic de Alfonsi Rege VIII. qui, propterea quod puer regnare coepisset, 3 Parvus Rex cognominabatur: Hic itaque Rex Partians, Regnum sibi noluit retinere: (quae dicta est Alienor, & fuit etiam soror ex alia parte Comitissae Mariae Campaniensis) genuit Henricum, qui juvenis obiit, & quinque sorores illius. Prima dicta est Berengaria, quae Regi Legionensi, id est Galliciae, peperit Fernandum, successorem Regis Parvi in Castella & Toledo, & fratrem illius; & illam, quam Rex Jerusalem Joannes in uxorem novissimè accepit. Secunda fuit Urraca, Regina Portugalliae: tertia fuit Blanca, Regina Franciae: Alienor dicta est quarta, Arragonum: quinta Constantia Monialis.*

Accedit alter magni nominis & venerandae probitatis Pontifex, qui ante annos ducentos vixit: is est Alfonsus a Carthagena, cujus verba sunt: 6 Mor-

- 4 Tom. I. lib. I. cap. 37.
- 5 Albericus ad annum M. CC. XII. Cap. LXXXII.
- 6 Mor-

tuo Henrico deferebatur Regnum Castellae ad Berengariam sororem ejus: sed illa, ut nobilissima domina, cessit Regnum Fernando filio suo, qui veniens a Legionibus, ubi cum patre morabatur, in Regem Castellae receptus est. Non aliam porro ob causam, Henrico vita functo, Regnum ad Berengariam deferebatur, quam quod ipsa Alfonsi VIII. Regis primogenita esset: id quod etiam clare affirmat Rodericus Santius Arealus, Palentinus in Hispania Episcopus, ubi ait: *Anno XVI. Regni sui Alfonsus Ferdinandi pater decessit: cui Ferdinandus ipse successit in Regno Legionis: in Regno vero Castellae successit ex prædicta domina Berengaria filia primogenita inclitissimi VIII. (Alfonsi) Regis Castellae. Itaque Regnum Castellae dictae dominae Berengariae naturali optimoque jure debebatur. Sic igitur Ferdinandus ex patre in Regno Legionis, ex matre in Castella Regnavit: fueruntque in ejus personam Regna unita. Quae unio & reintegratio Monarchiae Hispanicae facta est anno Domini M. CC. XXXII. Dixit precedenti capite Santius: 2 Inclitissimus Ferdinandus, filius Berengariae, ut justum & debitum erat, in Regem Castellae feliciter est assumptus.*

Hæc tam plana & concepta Santii Præsulis verba manifeste ostendunt illa, quae postea sub ejus nomine adferuntur in contrarium, ubi agitur de Alfonsi X. Rege, germano ejus contextui a recentiore quopiam temere adjecta esse: quibus quippe non dicta pro dictis ipsi Santio assignantur, quae nec memorantur a Gaufrido Archidiacono Toletano, Roderici Archiepiscopi continuatore, Alfonsi X. Regis aequali, qui se res visas narrare profitetur; neque a Carthagena, qui eodem Santii

saeculo floruit ac scripsit.

Insistit demum insignium virorum vestigiis eruditus saeculi nostri scriptor, idemque sanctae Ecclesiae Toletaanus Canonicus, Salazar de Mendoza, cum Alfonsi VIII. & Eleonora Anglica feminas proles enumerat hoc ordine: 4 Berengaria quae in Regnis successit: Blanca Franciae Regina, uxor Ludovici VIII. Urraca Regina Lusitaniae, &c. Juste in primo loco ponit Berengariam; rectius in secundo collocasset Urracam, & Blancam in tertio; quemadmodum scienter aequalis Albericus. Genealogicum Alberici ordinem fere sequitur 5 Hieronymus de Aponte in MS. genealogico, cui titulus *Luzero de nobleza*, qui Alfonsi illius Regis proles recenset hac serie:

1. Domina Berengaria.
2. Dominus Sanctius obiit puer.
3. Domina Urraca, uxor Alfonsi Regis Portugalliae.
4. Domina Blanca, Regina Franciae, mater S. Ludovici Regis.
5. Dominus Fernandus, in proliis mortuus.
6. Domina Mofalda.
7. Domina Constantia, Monialis.
8. Domina Leonora, uxor Jacobi Regis Aragoniae.
9. Dominus Henricus, obiit Rex Placentie sine liberis.

6 Ceterum litteræ Procerum Hispaniae, quae ex Francorum archivis contra producuntur, Blancam filiam Alfonsi Regis primo loco genitam fuisse non probant; solumque testes sunt barbarum, quas in 7 Berengariam natu majorem viri nobiles excitabant, propterea quod penes illam fratris Henrici pueri remanserat gubernatio, ad quam ipsi, despecto sexu sororis, inhabebant; quemadmodum & ad custodiam Infantis Fernandi, filii Berengariae.

- 1 Parte III. cap. 39.
- 2 Cap. XXXVIII.
- 3 Parte IV. cap. 4. fin.
- 4 Lib. II. Orig. Castellae & Legionis.

- 5 Cap. de Regibus Castellae.
- 6 Samarth. lib. VII. cap. 1.
- 7 Rodericus testis oculatus lib. IX. capite 1. & 4.

ria, Regis futuri: ut sic nempe concepta in alios magnates odia palam & impune exercerent: quibus illi fovendis tumultibus, obducta jura falsa specie, Francos vocabant, qui vanis scriptonibus audientes non fuerat.

Denique, quod Philippi IV. Regis non tantum legitima successione, sed supremo jure, inclitum Castellae Regnum proprium sit, patet inde, quod ubi Fernandus II. Rex Legionis Sancium Castellae Regem, fratrem suum, aliquando adisset, rogans ne Regni sui fines invaderet, alioqui fore, ut ipsi hominum praestare eligeret; respondit Fernando Sancius: *1 Absit a me, ut terram, quam pater meus votis contulit, nec sufficiam potestati; vel frater meus, filius tanti patris, alicui homini sit adstritus.* Regia mehercle & fraterna verba! & qui bus erudito civis, & a nimio affectu libero, argumentum hoc in primis validum ac potens licet elicere, nimirum, si Legionense Regnum, quod natu minoris filii ratam portionem constituebat, ab omni hominio liberam e-

rat; quanto magis Castellanaum, quod natalium prerogativa ad majorem pertinebat? Et vero de Ferdinando III. cui Regnum utrumque successione jure obvenerat, haec *2 Rodericus Archiepiscopus tradit: Tertia die ante festum S. Andreae in Regali Monasterio prope Burgis, celebrata missa a venerabili Mattheo Burgensi Episcopo, & armis militaribus benedictis, ipse Rex, suscepto gladio ab altari, manu propria se accinxit cingulo militari.* Insoliti ritus mysterium haud aliud fuit, quam ut Rex ab altari gladium accipiendo, & manu propria se accingendo, testaretur se sua Castellae & Legionis Regna nemini unquam mortalium, sed uni solique Deo accepta retulisse. Minus accuratos fuerant haec; me non item, qui nulli labori parco, aut umquam parcam vindicandae Maximi Regis Philippi IV. domini mei dignitati majestatique, appetitae ab hostibus tam procaciter, ut & avitum diadema invidere, adeoque ipsi auferre praesumerint.

LUMEN XI.

NULLA SUNT FRANGORUM JURA IN HISPANIAM

EX PARTE BLANCAE SANCTI LUDOVICI MATRIS.

FACULA I.

SOLVUNTUR ARGUMENTA QVAE ATTULIT adversarius pro falsa Blancae Reginae aetatis prerogativa.

Assertoris munere male fungitur Dominicus, qui vel immemor sui, vel cum terrae tuberibus agere se existimans, asseverat & inficiatur in eodem argumento. Ille siquidem Joannem Monachum majoris Monasterii rejiciendum putat, *4 quod de rebus a*

se remotissimis scribat, infertque ex illo, neminem, nisi inconsulte, certi quidquam affirmare posse. Alio loco *5 Flandriae Chronicon a Sauvagio editum, de his, quae tribus ab inde saeculis gesta sunt, negat indubitatam fidem facere potuisse.* *6 Denique re-*

1 Rodericus lib. III. cap. 13.
2 Lib. IX. cap. 10.
3 Quae sequuntur desumpta sunt ex eodem Chiffletii libello superiori adjecto,

cujus inscriptio: *Ad vindicias Hispanicas contra luminia prerogativa.*
4 Pag. 13. *5* Pag. 95.
6 Pag. 97.

duobus saeculis Reginas sequutus est: sed nec ille tibi favet, ubi discrete scripsit: *4 Regnum Castellae naturali optimoque jure Berengariae debitum fuisse; quia erat filia primogenita Alfonso VIII. Regis.* Unde lacina illi falso inserta, quam sequeris, nullam meretur fidem; quia ipsimet *5* auctori & historicae veritati contraria est, cum ob Castellae Regnum inter Alfonso IX. & S. Ludovicum Reges nulla umquam discordia orta fuerit; quam aliqui scriptores vestri minime praetermisissent.

Insuper in quadripartito *6* Roderici Sancii volumine legitur: *Therasiam, Alfonso VI. Regis filiam, nupsisse Henrico Comiti Lotharingiae;* qui tamen *Henricus* erat de stirpe Ducum Burgundiae. Legitur praeterea, *Ferdinandum III. Regem duxisse Beatricem filiam Ducis Brabantiae.* Erat autem *Beatrix* filia Philippi Ducis Suaeviae & Romanorum Regis. Sed & alia ejusmodi occurrunt menda, quae argunt Sanctum vel minus accuratum fuisse, vel ejus Historiam ab amantibus male habitam & foede interpolatam.

Quod attinet ad litteras Nobilium Hispaniae, quarum exemplar adfers, dico iterum illas nihil testari, praeterquam quod illos fuisse turbatores & falsarios; ex eorum numero, qui ab obitu Alfonso VIII. Regis *7* effrenatis studiis, & laxatis habentis licentia, quo libit, abierunt, & nihil sibi retinuerunt, cum thesauros veracitatis amiserunt. *8* Minorem enim Henrici Regis aetatem seditiosus contemnebant, quae gravissimum motuum occasio existit, plerique enim summe rerum praesae cupiebant, & alieno nomine regnare; nonnulli etiam suo: omnia raptem & violenter agebantur; neque legum, neque temporum, ac ne periculi quidem ratio habebatur.

*Sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit & porrigine porci.
Alter tuus testis Rodericus Sancius*

1 Pag. 198.
2 Vide Petri Mantuani Animadversiones in Marianam.
3 Pag. 188. *4* Parte III. cap. 39.

5 Parte IV. cap. 4.
6 Parte III. cap. 29. & 39.
7 Rodericus Tolet. lib. VIII. cap. 5.
8 Mariana lib. XII. cap. 4. & 5.

FACULA II.

PRIMATUS NASCENDI BERENGARIAE REGINAE

firmatur, primo ex auctoribus plane coetaneis ex antiquis Hispania chronicis & genealogiis.

UT probarem Berengariam Reginam Blancam natu priorem fuisse, testes produxi Hispanos, Francos æquales, facti conscios & omni exceptione majores. Primus fuit Rodericus Ximienus Archiepiscopus Toletanus, qui diserte scripsit, *Berengariam* (cujus tempore ipse florebat, & in aula continuo versabatur) *inter Regis filias primogenitam fuisse; ipsique, decedentibus filiis, Regni successionem debitam. Et hoc ipsum, addit, patris privilegio probatur, quod in armario Burgensis Ecclesiae servatur.* En ortum Berengarii primorem patris declaratione confirmatum. Nihilominus ad illa magister Rodericus verba sic effrons loquitur: *Suam adversus seipsum perhibet objectionem, dum Ferdinando III. ad quem ejus mater Berengaria Regnum successerant, Historiam suam inscribit. Nec enim honestatis ratio pati potest, ut cum, cujus partes sectatur, commendaret, scripto suo probaret invidiosorem. Honestati mendacium ita copulatis, Dominice, ut teipsum insinues cum honestate mentiri. Hujus novæ & impie ethices magistrum te non addimus; & longe minus magni Præsulis Manes insectantem, qui pietate, doctrina & morum integritate conspicuus, in consilio Lateneranensi IV. patribus fuit admirationi: qui omni laude cumulatus, hoc sepulchrale promeruit elogium: *Mater Navarra: nurix Castellæ: schola Parisius: sedes Toletum: Hortus Mausoleum: Requies cælum.* Vere ergo dixit magnus Archiepiscopus Berengariam primogenitam fuisse;*

se; tu improbe tentasti criminatione falsa ejus famæ notam inurere.

Roderici porro fides firmatur testimonio alterius in Hispania Episcopi, Lucæ Tudensis, auctoris etiam synchroni; qui sic in vita Alfonsi Boni Regis: *Filiam suam primogenitam Berengariam dedit Alfonso Regi Legionensi in uxorem: dedit Ludovico Regi Francorum filiam suam Blancam.* Idem iterum in vita Ferdinandi Sancti Regis: *Castellæ nobiles Regnum Berengariae Reginae tradiderunt, eo quod erat primogenita Alfonsi Regis Castellæ; & ipsa tradidit Regnum filio suo Ferdinando.* Ita vir non aura vulgi, aut fortunæ favore, sed propriis animi dotibus æstimandus. Verum per me licet, Dominice, Præsul Lucas assentationis insinulari possit, quod Berengariam Principem suam in ipso scriptio- nis stipe vestibulo alloquatur: *Tu qui possis effugere peccorem notam, qui librum Regi tuo mercede inscripsisti?*

Alter testis meus locuples fuit Albericus, stemmatum sui temporis primarius interpres. Ille ad annum M. CCIII. sic loquitur: *De sorore Regis Ricardi (Angliæ) quæ dicta est Alienor, nata est domina Blanca Regina Franciæ, mater istius Ludovici qui regnat in presenti.* Non jam negabis Albericum ætate parem fuisse, Ille autem postea ad annum M. CC. XII. dum Alfonsi VIII. Regis filius enumerat, ponit primo loco *Berengariam Castellæ*, secundo *Urracam Portugalliæ*, tertio *Blancam Franciæ*, quarto *Alienoram Aragoniæ*, Reginas. Et adhuc illum ut externum &

in rebus Hispaniæ minime versatum non admittis, Dominice, tu qui ad firmanda Regni Franciæ jura adduxisti Agathiam Græcum, Guillelmum Tyrium natione Syrum, Parisium Anglum, Baldum Italum, Froissartum Austrasium, & alios. At ne quidem de rebus externis Albericus Franco-Gallus egit, ubi Blanca Francorum Reginae natales recensuit; quæ a nullo alio æquali Franco primi sunt asserti, nec Berengariæ posteriores adducti, nec Ferdinandus III. Berengariæ filius usurpator nuncupatus; nec pro Blanca jure in Hispaniam ulla querella, ne dicam lis commota.

Ille idem ordo natalium Blanca Reginae ab Alberico tertius inter filias indicatus observatur in Chronico generali Hispaniæ; cujus hæc sunt verba: *Estos nobres, D. Alonso Sanchez Rey de Castilla è Doña Leonor su nuget ovieron fijos, è conviene à saber quantos: la primera suè la noble Infanta Doña Berenguella, que suè despues casada con el Rey D. Alfonso de Leon, como lo contarà adelante la Historia: è fueron despues partidos por la Iglesia, segun adelante serà dicho. E luego que esta Infanta Doña Berenguella suè nacida, el Rey D. Alfonso su padre andò à hacer Corte en Burgos, è fizola jurar por heredera del Reyno: è suè hecho ende privilegio, è dado en fieldad è guardia en el Monesterio de las Huelgas de Burgos. En pos desta Doña Berenguella ovieron fijo varon, à quien dixeron D. Sancho: à quien ficeron homenage luego los de la tierra, è lo recibieron por heredero, mas luego à pocos dias suò: è ficeron otrosi que este Infante D. Sancho suè finado, otra vez homenage à la sobredicha Doña Berenguella los del Reyno, ovorgandose privilegio. En pos de este D. Sancho ovieron otra fija, que o-*

vo nombre Doña Urraca, que suè muy fermosa Infanta: esta suè casada con D. Alfonso Rey de Portugal. En pos de esta Doña Urraca ovieron otra fija Doña Blanca, è segun cuenta la Historia era muy aqnestà, è sobre todo era de buen donayre: era muy noble en sí, como quier que la dicha Doña Urraca con su hermana lleoaba la prez. Esta Doña Blanca suè casada con el Rey D. Luis de Francia.

Chronicon MS. paris cum Regniis ævi, quandoquidem desinit in Rege Ferdinando Sancto, narrat: *Que el Rey D. Alfonso fezo sua vida muy boa è muy limpia con sua moller Doña Leonor: ovo fillos en ella estos que vos diremas: a primera Doña Berenguella, que foy Reyna de Leon, asi como habedes visto: depois D. Sancho, que vivió poco: depois Urraca, que foy casada con el Rey D. Alfonso de Portugal: depois Doña Blanca, que foy casada con el Rey D. Luis de Francia.*

Perantiquum stemma Roderici Diaz de Vivar, nuncupati el Cid, repertum anno M. D. XII. in Monasterio S. Petri de Cardena: *Este Rey D. Alonso el Noble de Castilla casò con la Reyna Doña Leonor, hija del Rey D. Henrique de Inglaterra, è hubo en ella estos fijos: primeramente à Doña Berenguella, que suè Reyna de Leon; despues al Infante D. Sancho, que vivió poco; despues à Doña Urraca, que suè casada con D. Alonso de Portugal; despues à Doña Blanca, que suè casada con Luis de Francia. Vides ergo ex istis monumentis, Dominice, Albericum in rebus Hispaniæ a vero non aberrasse, dum Blancam tertio loco genitam statuit, quam tu in primo nativitatibus ordine male collocas, falso stemmate ad id instituto.*

Ut porro amplius agnoscas, etsi invitus, prerogativam natalium præ-

1 Parte IV. cap. IX.

2 Ex bibliotheca Conestabillæ Castellæ

P. Mantuanus libro citato.

3 Observat. a D. Laur. Ram. de Prado.

Blanca ad Berengariam attinisse; ecce tibi alia, quæ id ipsum firmant. ¹ Chronicon Sancti Regis Ferdinandi: *Los Caballeros, como los Procuradores de los pueblos, recibieron por Reyna y Señora á la noble Reyna Doña Berenguela así á heredera del Reyno; pues sus hermanos eran fallecidos, y ella quedaba por primogénita heredera; y aún allende de esto tenía un privilegio del Rey D. Alonso su padre, el qual estaba bien guardado en la Iglesia de Burgos.*

² Codex manu exaratus, qui ante annos ducentos fuit Comitibus de Haro, & nunc servatur in bibliotheca Medinæ de Pumar: *Ajuntaronse en Valladolid todos los Ricos-homes é Fijosdalgo de Castilla, é los de los Consejos, é los mayores de toda Estremadura; é dieron el Reyno de Cas-*

¹ Cap. VI.

² P. Manuanus lib. cit.

tilla así como debían á la Reyna Doña Berenguela, que era hija mayor heredera del noble Rey D. Alfonso, á quien pertenecía el Reyno, segun que era derecho; é segun se prueba por el privilegio del noble Rey Don Alfonso, que estaba con guarda con otros privilegios en la Iglesia de Burgos, pues en vida del padre lo hicieron.

³ Tabula genealogica Regum Hispaniæ per Fr. Joannem de Arevalo, cœnobii S. Petri de Cardena Priorem majorem, alias delineata: *D. Henrique I. de Castilla no dexó hijos, y así le succedió Doña Berenguela su hermana mayor, muger de D. Alonso el IX. Rey de Leon. Eadem repetit idem auctor in Chronico suo MS. Regum Gothorum, Comitum & Regum Castellæ, cujus apographum exstat in Gondomarii Comitibus bibliotheca.*

³ Observatum ab illustrissimo D. Fr. Manso Archiepiscopo Burgensi fol. 7.

FACULA III.

ANTECESSIO NATALIUM BERENGARIAE REGINAE
firmatur secundo ex ratione chronologia.

VERUM STEMMA PROLIUM ALFONSI VIII. REGIS.

Alfonsus VIII. Rex Castellæ & Tolosæ, natus anno M. C. LV. Sancio patri successit anno M. C. LVIII. uxorem duxit Alienor Anglicam M. C. LXX. Obiit M. CC. XIV.

1. Berengaria desponsata (sed incasum) Conrado Duci Sueviæ anno 1188. nupta dein Alfonso IX. Regi Legionis anno 1197. Fit Regina Castellæ anno 1217. Cedit Regnum Ferdinando filio eodem anno.	2. Sancio natus anno 1181. obiit puer.	3. Urraca nupta Alfonso II. Regi Lusitanæ anno 1206.	4. Blanca nata anno 1188. nupta Ludovico VIII. Franciæ Regi anno 1200. cum esset annorum 12. obiit 1251. ætatis 63.	5. Ferdinandus natus anno 1190. obiit 1211.
			6. Alienor nupta Jacobo I. Regi Aragoniæ anno 1221.	
			7. Henricus natus anno 1203. Rex Castellæ post patrem anno 1214. obiit 1217. <i>ἄπαις</i> ;	
			8. Philippus natus anno 1209. obiit sine prole.	
			9. S. Ludovicus IX. Rex Franciæ natus anno 1215. obiit 1270.	

Ferdinandus natus 1199. vel 1200. ex matris cessione 1217. ætatis suæ 18. Obiit anno 1252.

Fit Rex Castellæ & Legionis anno 1252. Obiit Rex Castellæ cui successit Berengaria Regina Legionis.

PROBATIONES.

BERENGARIA: ¹ Rodericus Toletan. de Alfonso IX. Rege Legionensi: *Circa principium Regni sui venit ad Regem Castellæ (Alfonsum VIII.) & in curia Carrionis, accinctus ab eo cingulo militari, manum ejus fuit in plena curia osculatus. Et in eadem curia Rex Castellæ nobilis Aldefonsus Conradum, filium Friderici Imperatoris Romani, accinxit similiter cingulo militari; & filiam suam primogenitam Berengariam ei desponsavit. Sed ipso Conrado in Teutoniæ regione, prædicta domicella desponsationi continuo contradixit: & per*

Gundisalvum Toletanum Primatem, & Gregorium S. Angeli Diaculum Cardinalem, Apostolicæ Sedis Legatum, divortio celebrato, puella Berengaria mansit inupta.

² Joannes Mariana de comitiis iisdem Carrione congregatis: *Affuerunt in iis conventibus Conradus, Fridericus Aug. cognomento Anobarbi filius, religionis ergo in Hispaniam appulsi; Raymondus Flacada Tolosæ Comes: utrique honorificum fuit ab Rege militia honore donari. Conrado præterea Berengaria Regis filia parata; neque nuptiæ tamen peractæ, cum*

¹ Lib. VII. c. 24. anno M. C. LXXXVIII.

² Lib. XI. c. 17. anno M. C. LXXXVIII.

puella proficisci in Germaniam recu-
saret, genis mores aut longum iter
exosa.

Rogerus de Hoveden anno M. C.
XCI. de Celestini III. PP. exordii:
Eodem anno fuit laborandum eidem
Celestino Pape in dissolutione ma-
trimonii inter Reges Hispaniarum;
cum videlicet Sanctus Rex Portuga-
lensis dedit Tarsiam filiam suam Vil-
defonso Regi Gallicie nepoti suo in
uxorem; de qua genuit tres filios. Et
licet post Clementem Celestinus Papa
multum laboraret, ut separarentur;
tamen tenuit eam contra Deum &
prohibitionem domini Pape per quin-
que annos. Interim surrexit in pre-
dictum Regem de S. Jacobo Aldefon-
sus Rex Castellæ, & coegit eum re-
linquere uxorem suam, filiam Regis
Portugallensis; & dedit ei propriam
filiam in uxorem permissione domini
Pape Celestini pro bono pacis. Illud
ergo Alfonsi & Berengarie matrimonium
celebratum est anno M.C.XCVII. sed
quia dispensatio male obtenta fuerat,
revocavit illam Innocentius III. Sic e-
nim jam laudatus Rogerus anno M. C.
XCVIII. Defuncto Papa Celestino
Innocentius PP. III. substitutus, i-
terum suspendit Aldefonsum Regem
de S. Jacobo & totam terram suam
a celebratione divini officii propter u-
xorem suam; filiam Regis Castellæ:
erant enim consanguinei in tertio gra-
du. Abrahamus Bzovius eodem anno
de PP. Innocentio: Incestuosum in-
ter Alfonsum Regem Legionis & Be-
rengariam, filiam Regis Castellæ,
coniubium dissolutum esse voluit.
Addit Andreas Chesneus, Innocen-
tium ob eandem causam contra Al-
fonsum Regem Legionis bullam edi-
disse Pontificatus sui anno secundo,

1 Baron. an. M. C. XCI. num. 11.
2 Num. 5.
3 In Hist. Pontif. in Innocentio III.
4 Sub an. M. CC. XII.
5 Lib. IV. Annal.
6 Mariana lib. XII. cap. 7.

hoc est Christi M. C. XCIX. Alberi-
cus tamen post enumeratas ordine Al-
fonsi VIII. Castellæ Regis filias sic lo-
quitur: Sciendum est, quod diu-
Berengaria & maritus eius Rex Al-
fonsus in secundo & tertio gradu fue-
rant: quod matrimonium licet Papa
Innocentius III. de necessitate primo
concessit, tamen postquam liberos
fecerant illud prohibuit. Postreman
hanc conubii diremptionem & Marti-
nus Carrillus, Abbas Montis Aragonis,
contigisse notat anno M. CCIX.

Obiit postmodum Alfonsus VIII.
Castellæ Rex anno M. CC. XIV. cui
successit Henricus filius eius eodem an-
no; sed qui absque liberis mortuus est
anno M. CC. XVII. Itaque Vallis-
oletum Reges abierunt, municipium
in Vaccæis amplum & validum; in
eo ex universa ditione conventus ge-
nerales agitati sunt; omnium ordi-
num consensu & sententia pronuntia-
tum, Berengariam Regni Castellæ a
morte fratris iustissimam heredem
esse: quod patre superstite semel at-
que iterum fuerat declaratum, ut
Rodericus Præsul est auctor.

Regina autem Berengaria Ferdi-
nando filio suo eodem illo anno Re-
gnum Castellæ cessit, & qui omnibus
approbantibus ad Ecclesiam S. Ma-
rie ductus est, & ibidem ad Regni
solum sublimatus anno ætatis sue de-
cimo octavo. Natus ergo erat Rex iste
Ferdinandus, Berengarie filius, anno
M. C. XCIX. vel, ut sensit Quintana
Dueñas, M. CC. quo eodem anno
Blanca ejus matertera cum Ludovico
Franco conjugium inivit.

URRACA. Scriptores aliquot Hispani
tradunt, Philippum Franciæ Regem,
Ludovici patrem, Legatos missis ad
Alfonsum VIII. Castellæ Regem, ut

7 Rodericus Toletanus lib. IX. cap. 5.
anno M. CC. XVII.
8 In Vita S. Regis Ferdinandi.
9 Garibay lib. XXV. cap. 57. Alfonsus
Venerus, & alii.

ex ejus filiabus alteram peterent, Urra-
cam aut Blancam; illos porro Blan-
cam elegisse; Urracam vero majorem
nata & formosiorum neglexisse; pro-
pterea quod Urraca picam mali o-
minis avem significabat.

Mire inconstans Garibayus, uno
loco, sed perperam, Urracam facit fi-
liam Alfonsi Regis primo loco genitam,
alio loco verius secundo natam, & istis
quidem verbis: En el año M. CCVI.
estando el Rey D. Sancho (de Por-
tugal) en toda paz y amor con D. A-
lonso Rey de Castilla, se trató ca-
samiento entre el Infante D. Alonso
primogénito y heredero del Reyno, y
Doña Urraca Infanta de Castilla,
hija segunda del dicho Rey D. A-
lonso; y se concluyó en el mismo año.

BLANCA. Albericus anno M. CC.
Pax firmatur inter duos Reges (Fran-
ciæ & Angliæ) & Ludovicus filius Re-
gis Franciæ duxit Blancam, filiam
Alfonsi Regis Castellæ, neptem ex
sorore Regum Angliæ Richardi &
Joannis.

Rogerus de Hoveden distinctius
eodem anno: In octavo natiuitatis S.
Joannis Baptiste Philippus Rex Fran-
ciæ & Joannes Rex Angliæ conven-
erunt ad colloquium inter Butvant,
castellum Regis Angliæ, & Galetum,
castellum Regis Franciæ XI. Kal.
Junii, feria secunda. In quo collo-
quio reddidit Rex Franciæ Joanni Re-
gi Angliæ civitatem Ebroicarum, &
totum Comitatum, & omnia castella
& civitates, & prædia, que occupa-
verat in Normannia per guerram, &
in aliis terris Regis Angliæ; & Jo-
annes Rex Angliæ statim devenit inde
homo Philippi Regis Franciæ; & in
continenti dedit universa illa Ludo-

1 Lib. XII. cap. 24.
2 Lib. XXXIV. cap. 16.
3 Parte II. eodem anno.

vico filio prædicti Regis Franciæ in
maritagium cum nepte sua, filia Al-
defonsi Regis Castellæ. Et in crasti-
no, scilicet X. Kalendas Junii, fe-
ria tertia, prædicta filia Regis Cas-
tellæ desponsata est Ludovico filio
Philippi Regis Franciæ apud Pur-
mor in Normannia.

Scribunt & San-Marthani, Ludovi-
cus VIII. Franciæ Regem cum Blan-
ca conjugium inivisse anno M. CC.
deinde ex Historia Comitum Montis-
fortis notant, Blancam Franciæ Re-
ginam diem suum obiisse XXVI.
Novemb. anni M. CC. LI. Meloduni
anno ætatis LXIII. Unde colligi da-
tur, Blancam, cum Ludovico nupsit
anno M. CC. annum ætatis egisse duo-
decimum; & sic natam anno M. C.
LXXXVIII. quo Berengaria soror e-
jus Conrado Sueviæ Ducis desponsata
fuerat, & in Germaniam proficisci re-
cusaverat; cum Blanca tum primum lu-
cem aspiceret.

ALIENOR. Hieronymus Blancas de
Jacobo I. Aragonum Rege: Anno æta-
tis sue XIII. natalis Christi M. CC.
XXI. Eleonoram, Alfonsi Castellæ
Regis filiam, uxorem duxit; & Al-
fonsi nempe VIII. non IX. Alfonsus
nempe VIII. Aragoniæ, sponsus Urracæ,
non nominatur inter Reges Castellæ,
cum Urracæ, ex priore conjugio jam
natus esset Alfonsus VII. qui dictus
est Imperator Hispaniæ.

Si enucleatam hanc temporum ra-
tionem inivissent novi scriptores a Do-
minico adducti, proculdubio non asse-
ruissent Blancam fuisse Alfonsi Castel-
læ Regis filiam primo loco genitam,
quam ex recta chronologie norma ter-
tiam dumtaxat fuisse clare ostensum
est.

4 Lib. VI. cap. 10.
5 Schotus in Notis ad Rodericum To-
letanum.

FACULA IV.

ORTUS PRIMITIVA BERENGARIAE REGINAE

firmatur tertio ex actis publicis.

A Me rogatus per epistolam litteratissimus juxta ac integerimus Senator D. Laurentius Ramirez de Prado, ut mihi suppeditaret acta publica, quibus Berengariae Reginae natalium prerogativa amplius stabiliretur; ille cum illustrissimo ac reverendissimo D. Francisco Manso de Zuñiga, Archiepiscopo Burgensi dignissimo, serio agere coepit: qui chartas ei aliquot Alfonsi VIII. Regis indicavit, ex quibus clare dignoscitur Berengariae ante sorores omnes nativitatis primatus. Illas, ut ad me missae sunt, expromo libens, sed ordine temporum digestas examinatasque pensulatus.

Prima charta: *In nomine Domini nostri Jesu Christi, &c. Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, libenti animo & voluntate spontanea, &c. Facta charta apud Toletum era M. CC. XVIII. XIV. Kalend. Januarii, anno IV. ex quo Rex serenissimus Alfonsus Concham fidei Christianae mancipavit. Absque dubio Regni Castellae Ordines sacramento nondum se obstrinxerat erga Berengariam, Alfonsi Regis filiam, cui ut primogenita, antequam Rex haberet filium, hic juramento & hominibus firmatum Regni successorem deberi; alioqui ex more in Hispania recepto Berengaria post parentes in hoc privilegio nominata fuisset.*

II. *In nomine Domini nostri Je-*

su-Christi, &c. Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & cum filio meo Rege Sancio, liberali animo & voluntate, &c. Facta charta apud Carrionem era M. CC. XLIX. pridie Kalendas Junii. Nato post Berengariam Sancio, & herede Regni scripto, omittitur Berengaria: sed ille idem Infans Sancius paucis post diebus e vivis excessit. Alius ergo fuit Sancius, qui, ex obscura quadam traditione, cum coenobiticam vitam ageret, vulgo creditur obiisse in Monasterio S. Auditi anno M. C. XCIX.

III. *Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & cum filia mea Infantissa Berengaria, &c. Facta charta apud Secoviam era M. CC. XIX. V. Idus Septembris, anno V. ex quo Aldefonsus Rex serenissimus Concham fidei Christianae viriliter mancipavit: anno primo quo idem Rex Aldefonsus Infantaticum a Rege Ferrando patruo suo adquisivit. Sancio fratre extincto, Berengaria ejus soror, Regis filia natu major, hic nominatur ut Regni heres a patre & ordinibus iterato declarata.*

IV. *Pro Monasterio Sanctae Mariae de Balvanera: Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & Berengaria Infantissa, &c. Facta charta apud Burgos era M. CC. XXVIII. VII.*

1 Colmenares Hist. Segov. cap. XVIII. §. II. anno M. C. LXXX.

2 Rodericus Toletanus lib. IX. cap. 5.

3 Colmenares cap. XVIII. §. III. anno M. C. LXXXI.

4 Chronica generalis parte IV. cap. 9.

5 Colmen. cap. XVIII. §. III. & IV. anno M. C. LXXXI.

6 Rodericus Toletanus & Chronica gen. locis citatis.

7 Antonius Yepes, Joannes Pineda an. M. C. LXXXIX.

A LAS MEMORIAS.

VII. *Idus Maji. Hanc Alfonsi VIII. Regis chartam ita describit Garibayus: Dice la data suya ser fecha el año segundo despues que D. Alonso Rey de Leon recibió del caballeria, y le besó la mano. En esta misma escritura se hace mencion como el Rey D. Alonso pocos dias despues armó caballero á Conrado hijo del Emperador, y le dió por muger á su hija Doña Berenguela: de la qual sola (llamandola Infantissa, que quiere decir Infanta) hace mencion en su privilegio, y no de ningun otro hijo ni hija. Iterum ergo Berengaria natu major filia, & futura Regni heres, sola prolium regiarum huic facto praesens interfuit.*

V. *De fundatione Placentiae: Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & filiabus meis Infantissis Berengaria & Urraca, &c. Facta charta era M. CC. XXVIII. Praecedit Berengaria natu prior, & Regni futura heres: sequitur Urraca annis minor: Blanca bimula adhuc agebat in cunis.*

VI. *Facta charta apud Palentiam XVII. Kalendas Aprilis era M. CC. XXVIII. eo anno quo natus est feliciter in civitate Concha Rex Ferdinandus, filius illustris Regis Alfonsi, & uxoris ejus Reginae Alienor: regnante Rege Aldefonso cum Regina Alienor uxore sua in Castella, Toletu & tota Extremadura. Sub nato Ferdinando, Regni futuro herede, sorores ejus in chartis non memorantur.*

VII. *Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & cum filio meo Ferrando, vobis universo*

concilio Secoviensi, &c. Facta charta apud Palentiam era M. CC. XXVIII. VIII. Kalendas Aprilis, II. anno postquam serenissimus Alfonsus Rex Castellae & Toleti Alfonsum Regem Legionensem cingulo militie accinxit; & ipse Alfonsus Rex Legionis osculatus est manum dñi Alfonsi Regis Castellae & Toleti: & consequenter, patris filius clapsis, ex quo sepe dicitur Alfonsus Rex Castellae & Toleti, Romani Imperatoris filium, Conradum nomine, in novum militem accinxit, & filiam suam Berengariam tradidit in uxorem. Absunt sorores, ut in praecedenti charta.

VIII. *Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor, & cum filiis meis Ferrando & Henrico, &c. Facta charta apud Burgos V. Kalend. Augusti, era M. CC. XLVI. Ferdinando majori natu filio subjungitur Henricus, Alfonsi Regis alter filius, anno natus M. CCIII. eorum vero sorores, ut ante, praetermittuntur.*

IX. *Ego Aldefonsus Dei gratia Rex Castellae & Toleti, una cum uxore mea Alienor Regina, & filiis meis Ferrando & Henrico, &c. Facta charta apud Secoviam era M. CC. XLVI. XIII. die Decembris. Obiit Ferdinandus an. M. CC. XI. Henricus post patrem regnavit annis tribus; cui successit Berengaria Regina Legionis, sororum ejus natu maxima.*

Ad harum chartarum, quas Hispani privilegia vocant, majorem vim & lucem peritissimus juris D. Laurentius Ramirez jam laudatus haec antiquae legis Hispanicae verba submisit: *Privilegio tanto quiere decir como ley, que es dada ó otorgada del Rey apartadamente á algun lugar ó lugar*

1 Lib. XII. cap. 24.

2 Salazar in Vita Sancti Epiracii fol. 123.

3 anno M. C. XC.

4 Colmenares cap. XVIII. §. VII. anno M. C. XC.

5 §. VIII. anno M. C. XC.

6 §. VII. anno M. CCVIII.

7 §. IX. anno M. CCVIII.

8 Lege II. tit. XVIII. paritida III.

gun home para facerle bien e merced: e debese facer en esta manera segun costumbre de España. Primeramente debese començar: En el nombre de Dios; e despues poner palabras buenas e apuestas, segund conviene a la razon sobre que fuere dado: e de si debe decir como aquel Rey que lo manda facer en uno con su muger de bendicion, e con sus hijos que haya della, ó de otra que haya habido que fuese velada; nombrando primeramente el mayor, que

debe ser heredero, e despues los otros hijos varones, y uno en pos de otro, segun que fuere mayor de dias; e si varon no oviese, la hija mayor, y despues las otras, así como diximas de los hijos. Si ergo Blanca Berengariam etate præcessisset, ejus nomen illo nascendi ordine in chartis regis expressum fuisset. Unde fatearis necesse est, Dominice Coniculus tuos contra assertam a me Berengarie Regine ortus prærogativam ad veritatis lucem evanesecere.

IV.

COMPROMISSUM

ALFONSI REGIS CASTELLAE, QUI UXOREM DUXERAT ALFANORAM HENRICI FILIAM, ET GARCIAE REGIS NAVARRAE, IN QUO CONSTITUUNT OMNIUM QUERELARUM ARBITRUM HENRICUM REGEN ANGLIAE.

I. **H**OC est pactum & conventio, quae facta fuit inter Aldefonsum Regem Castellae, & Sanctum Regem Navarrae avunculum suum, de querelis videlicet, quas inter se habebant, ut pro judicio Regis Angliae sibi satisfacerent.

II. Ad hoc uterque Regum quatuor castella in fidelitatem ponit, ut iudicium Henrici Regis Angliae, filii Matildis Imperatricis, socii Regis Aldefonsi, accipiat & compleat; & per quem steterit, quo minus fiant, subscripta castella amittat.

III. Rex vero Aldefonsus ponit in fidelitate Nagaram castellum Christianorum, & Or castellum Judaeorum; & Arnedo castellum Christianorum, & Celorigon castellum Judaeorum.

IV. Similiter Sanctus Rex Navarrae in hac fidelitate ponit Stellam castellum, quod Petrus Roderici tenet; & castellum Judaeorum, & Funes & Marannon.

V. Et ad hoc nuntii utriusque Regis sint ad praesentiam Regis Angliae in prima die praesentis quadragesimae, quae est caput jejunii, ad hoc iudicium recipiendum.

VI. Et si forsitan nuntii cujuslibet partis morte, vel infirmitate, vel captivitate in via sua detenti fuerint, praecedentes nuntii expectent eos usque triginta dies ultra diem praefixam, in curia praenominati Regis Angliae; & qui sani remanserint, veniant ad curiam, & accipiant iudicium.

VII. Et si omnes infirmi, vel captivi, vel mortui fuerint, nihil Rex, cujus fuerint, proinde amittat.

VIII. Et si omnes, vel aliqui nuntiorum, aliqua harum trium occasionum non fuerint detenti, & ad diem statutum ante Regem Angliae non venerint, Rex, cujus nuntii fuerint, haec praedicta castella amittat, & hoc per bonam fidem, & sine malo ingenio.

IX. Et si forte, quod absit, Rex Angliae interim mortuus fuerit, hoc eodem praedicto modo nuntii isti ad Regem Francorum ad hoc iudicium recipiendum pergant; & per eum, sicut per Regem Angliae, hoc iudicium recipiant & compleant.

X. Sanctus igitur Rex Navarrae hac tria castella per militem & per portatorium suum recipiat, & donet Nagaram & Celorigo Petro Roderici, filio Comitis Roderici, & donet Arnedo D. Semenes; & ipsi faciant sibi hominium de eis.

XI. Similiter Aldefonsus Rex Castellae hac quatuor castella per militem & per portatorium suum recipiat; & donet Stellam Roderico de Azagra, & Funes S. Ramiro, & Marannon R. Martini; & ipsi faciant sibi hominium de eis.

XII. Et si aliquis Regum istorum hac praedicta castella militibus ea reventibus auferre voluerit, & alteri dare, donet illa Sanctus Rex Navarrae Petro Roderici, vel G. Vermundi, vel S.